



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XI. De secunda Tabula, & numero præceptorum, quæ in ea continentur, eorúmque materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

doti commendationem pertinet. I. Non distinguimus. §. Sacerdotio obueniente. D. De recept. arbitr. Poena in violatores huius præcepti apud Mosem fuit mors. Erat enim hoc crimen capitale. Numer. 15. Exod. 31. vers. 14, & 15.



DE SECUNDA TABULA

CAP. XI.

De secunda Tabula, & numero præceptorum, quæ in ea continentur, eorumque materia.

Pervenimus ad secundam Tabulam huius Legis, primùmque illius præceptum, quod est, *Honora Patrem, &c.* De quo priusquam agam quædã præfabor in uniuersam hanc tabulam, quæ erit vice *προλεγμένων* & lucem ad ea, quæ sequuntur, afferent.

Ac quidem constat inter omnes Legem Domini in duas tabulas ab ipso Domino distinctã, Exod. 32. vers. 15. & 34 vers. 1. Deuter. 10. vers. 1. & 1. Reg. 8. vers. 9. Id quod factum est tum memorię causa, quò facilius disceretur ita breuiter distincta: tum ipsarum rerum, de quibus agit, distinguendarum & animaduertendarum gratia. Nam quemadmodum illius argumentum duplex est siue obiectum, nempe Deus & homo, ita prima tabula continet, exponitque nostrum erga Deum officium. Secunda verò nostrum erga proximum. i. omnes homines. Et hæc-

hactenus inter omnes conuenit. Sed iam quaestio est:

Quot praecepta secunda tabula contineat? Resp. Scholaſtici ſeptem, quoniam vnum praeceptum ex prima tabula delent, vti diximus, quod est de idololatria fugienda. Et decimum huius tabulae in duo partiuntur. Veteres Iudaei vti Iosephus & Philo in expositione generali Decalogi, rationem numeri paris ſequuntur, Nimirum, vt prima tabula quinque habeat praecepta. Haec ſecunda item quinque. Itaque hoc etiam praeceptum *Honora patrem*, &c. ad primam tabulam pertinere putant, quia pater ſit domesticus quidam Deus, & ſemper parentis facies debet eſſe honeſta liberis. Sed aliud docent & Paulus Roman. 13, & ipſe Chriſtus, Marc. 10, ver. 19, qui hoc praeceptum, *Honora patrem*, manifeſte ad ſecundam tabulam referunt, & ad noſtrum erga proximos officium: Chriſto vero credendum eſt *ἀπλῶς*, neque poteſt cuiuſquam authoritas huic cōferri, nedum antepoſi: ergo prima tabula habet tantum illa quatuor ſuperiora.

Quando vero conſtat decem praeceptis tota lex, & quatuor tantum ad primam tabulam pertinent, ſex ad hanc ſunt reuocanda, quibus tota continetur & completur, vti etiam puriores Scholaſtici ſentiunt. Thomas 2. 2. quaeſt. 122. & Magiſter ſententiarum, Ambroſius apertè in epiſt. ad Ephes. 6. verſ. 2.

Quaeſitum eſt, Num plura praecepta quam ſex, hac ſecunda tabula comprehendantur. Et videntur plura ineſſe. Cùm enim Paulus Rom. 13. hac ſex enumeraret, addidit & ſi quod aliud
y. ij.

præceptum est. & Christus, Marc. 10. vers. 19. videtur addidisse septimū. Νεπε μη αποστρησεις. Respondi supra ad dictum Christi: Ad Paulum autem sic respondeo, Non negare nos & alia præcepta summam, his sex ἀνακεφαλαιῶδες & cōprehendi. Nam quæcunque sigillatim ad stabilendam conseruandamq; hominum charitatē inter se in tota Mosis nomothesia scripta sunt, ad hos sex tanquam solos & præcipuos fontes reuocantur. Ergo hæc sunt sex præcipua capita. Reliqua præcepta sunt horum ἐξυγίσεις & appendices, & secundaria quædam præcepta.

Quæsitum est, Num pauciora præcepta esse debuerint aut potuerint, quàm sex. Et videtur debuisse. Cū enim hæc Lex breuissimè fuisse scribenda appareat, frustra in sex capita dissectum est, quod vno tantum, duobus, vel tribus potuit proponi. futura enim erat breuior & cōpendiosior Lex. Sed & videtur potuisse. Nam Christus ipse docet esse vnum hoc præceptum summum charitatis, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, Matth. 7. vers. 12, & Ama proximum sicut teipsum. Cano. 1. in Decreto, & nos aliquando diximus Optima iustitiæ lex, hæc & maxima veræ, Ne facias aliis quod fugis esse tibi. Bernard. Sermo. De triplici genere, Hæc est lex naturalis societatis, vt omnia, quæcunq; nobis fieri nolumus, aliis nō faciamus. Resp. Istum esse summum Legis scopum, non autem præceptum, quod rerum agendarum modos & rationes contineat. Ergo eo modo concipere nostrū officium erga proximos, non fuisset Legem dare hominibus: sed tantum actionum nostrarum scopum

scopū nudè & obscurè designare. Quod vt melius intelligatur, sciendum est, Hoc esse Legis munus, vt honesta præscribat & iubeat, vetet turpia. Nam, vt ait Plato in Mino, Lex est *δ-
μοσις*. i. definitio rerum agendarum, quæ modum & rationem honestè viuendi in rebus singulis generatim quærit, inuestigat, & edocet. Ergo legis est constituere non solum fines rerum agendarum, nostrique officii: sed & modum & rationem per quam illud fit, demonstrare. Id quod videmus in omnibus populorum legibus fieri. Et si enim de omnibus rebus leges fieri nō possunt, tamen fiunt scribunturque de iis, quæ ad generales actiones nostras regēdas pertinet, id est, quæ modum iis imponūt, singulis generibus earū notatis & distinctis, non quod singulas actiones per se definiant præcepta Legis. Et vt in hominis mente duæ sunt *νοῦς ἀρχὴ*. i. intellectus agendi faces, & facultates à Deo data. Vna quæ nominatur *σωτήριος*: altera quæ dicitur *σωεῖσθαι* è quibus illa conseruat generales iusti & iniusti notitias, vt Physici scribunt: hæc iudicium sanum & syncerum de singulis actibus nostris: ita Lex ad vtramq; naturæ facē tendere & spectare debet, vt ex præscripto *σωτηρίου* iustum ex diuino lumine definiat, non ex hominum voluntatē. Ex præscripto *σωεῖσθαι*, quæ Lex fouet & tuetur, singularum rerum honestè gerendarum præcepta tradat. Et idcirco ait Paulus Legis finem esse vt sana animi consciētia inter homines viuamus, 1. Timoth. 1. vers. 5. Sed & quando lex omnis propter transgressiones posita est, Galat. 3. vers. 19. Rom. 5. vers. 20.

Transgressio autem & modum & genus facti notat, & personarum rationem habet, atque ad singula genera & particulares actiones pertinet: Legis est, non tantum finem vel modum summum præscribere, per quem honestè vivatur: sed etiam modum rationemque speciatim demonstrare, per quam ad id homines pervenire, tanquam per vias possint. Et verum est illud Thomæ in 2. 2æ. quæst. 44. quod quanquam in operabilibus extensiones facti insunt, virtutèq; continentur in fine & principiis rerum agendarum bene intellectis, quemadmodum conclusiones virtute continentur in scientiis speculativis in principiis bene intellectis: tamen quia ab omnibus non possunt facilè intelligi, idcirco addenda sunt plura præcepta. Et hæc ratio est, quamobrem ipsi Iurisperiti & *vouderu* gentium omnium non contenti fuerint pro omni lege hæc tria iuris præcepta commemorare, quæ ipsi referunt in §. Iuris autem præcepta, De iure naturali gentium & civili, in Institut. & in tit. De legib. D. Nimirum honestè vivere, Neminè lædere, Ius suum cuique tribuere, sed præterea varias leges addiderunt, quia Legis est in singulis actionum generibus certos quosdam fines pangere & præscribere.

Atque hoc ipsum valet aduersus eos, qui obiciunt potuisse totam Dei Legem duobus præceptis hæc tradi, Fac bonum, Abstine à malo, Psalm. 34. Nam illa duo modos & genera actionum non satis distinguunt.

Quæritur, Num hæc genera actionum nostrarum potuerint brevius definiri: & videntur potuisse,

potuisse, nimirum, Ne cogitatione dicto vel facto quenquam læderemus, quod docet Paulus Coloss. 3. vers. 17. Respon. Isto quidem modo genera actionum nostrarum distinguuntur, sed nimis breuiter & obscurè: itaque distinctius & facilius docendi fuimus. Nam in quoque genere earum rerum, quæ hîc commemorantur, hæc tria insunt. Non mœchaberis, cogitato, dicto vel facto. Non furaberis, cogitato, dicto vel facto. Ergo quædam distinctiora & faciliora genera quærenda fuerunt. Illa autem sunt sex, quæ & breuissimè & facillimè omnia genera humanarum actionum, per quæ charitas læditur, iuuaturve, continent. Neque quicquam melius fieri potest.

Iam de horum sex præceptorum vniuersa distinctione videamus, & cur sex esse oporteat. Thomas in 2. 2^a. quæst. 122. rationem affert. Philippus Melächthon tum in locis communibus, tum in sua Epitome Moralis Philosophiæ de eo agit copiosè. Augustin. in lib. De liber. arbitrio etiam suam sententiã profert. Dicunt Philosophi omnes humanas nostrasque actiones esse vel absolutas, quale est Deû colere: vel ad alterum. Quæ sunt ad alterum versantur in iustitia, & ea quidem vel distributiuã, qualis ea quæ constituit, vel Præmia, vel Pœnas: vel Cõmutatiua, quæ versatur in contractibus & obligationibus, & iis vel voluntariis siue ex vtraque parte, vel vna tantum obligent, vt donatio: vel non voluntariis, quales sunt iniuriæ, cædes, furta quæ patimur. Hæc Aristoteles lib. 5. *Ἠθικῶν Νικομαχ.*

Quæsitum est, Vtrum hæc secunda tabula omnes istas actionum formas contineat. Resp. Non, sed ea tantum genera, quæ sunt ad alterum. Nam prima tabula continet eas actiones nostras, quæ sunt absolutæ.

Quæritur, Vtrum omne genus actionum nostrarum, quæ sunt ad alterum, complectatur hæc tabula. Nimirum & eas quæ in distributiua, & eas quæ in commutatiua iustitia versantur. Respon. Continere non philosophica quidem distributione & ratione: sed alia & faciliori & magis populari ratione docendi, quæ est huiusmodi. Omnis nostra erga proximum charitas,

Specialiter quibusdã personis & hominibus debeamus. In hoc explicando versatur quintum præceptum.

Docet, Vel Quid	} Vniuersim omnibus hominibus, Vel	} Ipsorum hominũ ratione Ne cuiusquam lædamus	} Corp ^o . 6. præceptum. Matrimoniu. 7. Præceptu. Bona. 8. Famam. 9.		
				} Dei Nõ concupisces. 10.	
					} præceptum. Atque de his omnibus vide Iob. 31. per totum. Hierem. 7. vers. 8. & 10. & August. lib. 3. ad Bonif. cap. 4.